

**Dissertatio medica inauguralis de dysenteria ... pro gradu doctoris ... /
eruditorum examini subjicit Joannes Jobson.**

Contributors

Jobson, John, 1789?-1875.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgh : J. Neill, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a7hwcsdu>

Provider

University of Glasgow


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>






475-1887

Cc 4-c. 7



Pl. K 14






WATERBURY

WATERBURY

DYSENTERY



Digitized by the Internet Archive
in 2015

<https://archive.org/details/b24918210>

DISSERTATIO MEDICA

INUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

DISSERTATIO MEDICA

INAGURALIS

DE

DYSENTERIA

AUCTORE

JOHANNES WILHELMUS

EX ACADEMIA MEDICA UNIVERSITATIS VINDOBONENSIS

DR. GEORGIUS WILHELMUS

AD PRÆSENTANDUM

GRADUM

DOCTORIS MEDICINÆ ACADEMIÆ VINDOBONENSIS

PRÆSENTAT

PROFESSOR

DR.

JOHANNES WILHELMUS

DYSENTERIA

CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

TRACTATA

AB

JOHANNES WILHELMUS

EX ACADEMIA MEDICA UNIVERSITATIS VINDOBONENSIS

AD PRÆSENTANDUM

GRADUM

DOCTORIS MEDICINÆ ACADEMIÆ VINDOBONENSIS

AD PRÆSENTANDUM

GRADUM

DOCTORIS MEDICINÆ

AB

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA;
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris.

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES JOBSON,
SCOTUS,
CHIRURGUS.

*“ The page of military history weeps less for the slain in battle,
“ than for those who have fallen victims to this calamity.”*

Moseley on Tropical Diseases.

Ad Calend. Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :
Excudebat Jacobus Neill.

MDCCCXIX.

DISSERTATIO MEDICA

DE

DYSENTERIA

ET

DE

JOANNES BAPTISTA HENRIKSEN, M.D.

ET

GEORGIUS WILHELMUS V. P.

AD

PRIMUM

EXAMEN

IN

ARTI MEDICA

PRIMUM

IN

ARTI MEDICA

ARTI MEDICA

ARTI MEDICA

ARTI MEDICA

ARTI MEDICA

ARTI MEDICA

ARTI MEDICA

ARTI MEDICA

ARTI MEDICA

ARTI MEDICA

ARTI MEDICA

ARTI MEDICA

ARTI MEDICA

VIRO EXIMIO,
JOANNI THOMSON, M.D. R. S. E. Soc.

AD COLLEG. REG. CHIRURG. EDIN.

PROFESS. CHIRURGÆ;

IN ACAD. EDINEN.

REG. PROFESS. MILIT. CHIRURGÆ;

MECNON

CHIRURGO AD COPIAS;

IN TESTIMONIO AMORIS

PRO PUBLICIS AC PRIVATIS VIRTUTIBUS,

IN ADMIRATIONE EJUS INGENII,

CUM GRATO ANIMO, OB BENEFICIA COLLATA

SUIS PRÆLECTIONIBUS,

HÆ PAGINÆ

INSCRIBUNTUR

AUCTORE.

PAULINE AND OTTIE

AT THE OFFICE

DAVID J. JOHNSON

JOHN THOMSON, M.D. R. E. 1884

APPROVED FOR THE COURT

THE COURT OF COMMONS

IN THE YEAR

THE COURT OF COMMONS

THE

THE COURT OF COMMONS

IN THE YEAR

THE COURT OF COMMONS

THE COURT OF COMMONS

THE COURT OF COMMONS

THE COURT OF COMMONS

THE

THE COURT OF COMMONS

THE COURT OF COMMONS

THE COURT OF COMMONS

PATRI SUO OPTIMO,
ATQUE DILECTISSIMO,
DAVIDI JOBSON,

ARMIGERO,
OMNIBUS, QUÆ HOMINEM ORNANT,

VIRTUTIBUS PRÆDITO ;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

OB PATERNAS CURAS,

ET

MULTA BENEFICIA,

IN EUM COLLATA,

ANIMI GRATISSIMI PIGNUS EXIGUUM,

SACRARE

VULT

FILIUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

IN omni ævo sævire reperta est Dysenteria, ubi in locis angustis stipantur homines, et tempestatis vicibus vitam degunt objecti sine commeatu, vestimentis, et munditie aptis. Ita inter oppida obsessa, castra, naves, et valetudinaria conferta maxime urget, et e rebus, quæ ibi præcipue abundant, admodum contagiosa fit, et sæpius dirissimos inferens effectus ubicunque progreditur, terrorem stragemque facit, optima medica arte frustra obnitente. Ex causis, quæ excitant et morbum augent, (interdum in navibus

et castris parum evitabiles) valde magna vi inter classes et exercitus late grassatur, et quos neque defatigationes et belli pericula deprimere aut terrere potuerunt, spe abjecta, morti cessere. In vastante ejusdem progressu, quam hostium gladius, sæpe plures interfecit homines, irrita sapientum consilia reddidit, belli impetum coërcuit, et diruit callida ejusdem inventa. Inter nostros exercitus calidis in regionibus maxime urget, magno hepatis vitio, plerumque debilitate, et cursum conficit brevi tempore. Admodum diversas induit species, quæ tam e cœlo pendent, quam e causis excitantibus, quæ vi plus minusve pollent. Ideoque medici scriptores diversas ac contrarias protulerunt rationes de signis quæ febrem comitantur, et de natura morbi, qui certis viis curandi plus minusve facile cedit. Ita ZIMMERMANUS hunc remediis simplicissimis abiisse fere semper invenit, dum alii strenuissima artis medicæ opera, potentissimis juvati remediis, spe illusi sunt curationis, et frustra operam dederunt. Nobis non licet credere, qui morbum facile remediis cedere dicunt, eos medicos falsiter loqui, vel, ubi contra fit, illis in re

medica scientiam et attentionem defuisse. Hoc omne explicari potest ex effectibus, quos multæ res, imprimis cœlum, habent in morbi speciem mutando. In temperatis enim Europæ regionibus observatum est, ubi homines haud objecti sunt, minima saltem in parte, frigori, aëri humido, et aliis causis, morbum in miti forma se ostendere, cum febre leni comitante, et idoneis medicamentis facile abire. Contra autem, inter Europæos in calidis regionibus, præsertim inter milites et nautas, qui causis omnibus plena vi expositi sunt, nobis inventum est, illum conjungi cum debilitate, signis typhi aliis, cursum conficere brevi tempore, et medicinæ obsistere; ideoque inferendum est in verbis Equitis Jacobi Macgregor, “that with the change of country
“and climate we have a different disease.” *

* Med. Sketches, p. 182

DEFINITIO MORBI.

CULLENUS Cel. hunc morbum posuit in prima classe nosologiæ, et in Profluviorum ordine. Hæc est definitio: "Pyrexia contagiosa; dejectiones frequentes, mucosæ vel sanguinolentæ, retentis plerumque fæcibus alvinis, tormina, tenesmus." Fortasse verba, "Pyrexia contagiosa" objici possunt in definitione, ut nobis licet dubitare, an dysenteriam unquam febris idiopathica comitetur, et multæ rationes nobis persuadent credere, morbum ipsum non contagiosum esse et ita tantum evadere, ubi cum aliis morbis conjungitur, quali typho febre. Nihil magis perspicuum et concinnum fieri potest, quam reliqua pars definitionis, et morbus facile dignoscitur signis ibi annumeratis.

HISTORIA MORBI.

DYSENTERIA plerumque adoritur apud æstatis finem, vel autumnii initium. Haud infrequen-

ter incipit cum intestinorum doloribus leniter torquentibus, quos excipiunt languor lassitudo, citus pulsus, et dorsi et lumborum dolores, cum frequenti dejiciendi desiderio. Dejectiones in primo morbi stadio, quamvis in copia parcæ, et liquidæ, tamen haud multum distant ex fæcibus naturalibus. Ut malum tamen progreditur, signa ingravescent. Languor et lassitudo crescunt, pulsus frequentior, et tormina magis urgent. Æger in capite dolet, prorsus perit appetitus, vel potius cibi cujusvis fastidium adest, cum siti inexplebili. Alvus astricta morbi impetum sæpe præcedit; lingua arida albescit, et paulo post sordibus nigris ac subfuscis obducitur. Nonnunquam horrores lenes oriuntur, et cutis tactui dat sensum caloris. Præterea nausea et vomitus sequuntur, cum malo sapore oris. Haud raro ventriculus tumescit cum ponderis sensu, et dolor circa umbilicum torquet, et inflatio plus solito urget. Haud longum post dejiciendi superveniunt desideria, quæ, quamvis obediuntur, parum alleviationis tamen adferunt: et omnia signa citius redeunt cum priori aucta violentia. Dejectiones in copia parcæ, male olent,

et fæces haud naturales referunt. Plerumque e muco constant, interdum ex hoc bile misto et sanguine, qui nonnunquam sincerus dejicitur. Sed haud infrequenter parvorum, durorum, rotundorum corporum formam induunt, quæ Scybala nominantur. Aliquando vermes rotundi dejiciuntur, et corpora coloris fuliginosi in fæcibus interdum conspiciuntur. PRINGLIUS observavit globos fæcum induratarum ullo morbi stadio descendere, sed frequentissime in provecto, ubi purgantia neglecta sunt. Si medicamenta nil prosint in morbo sistendo, et in ejus cursu progrediatur, omnia in pejus ruunt, et debilitas admodum urget cum insigni anxietate, et caloris ardentis sensu circa ventriculi regionem, magno urinæ calore, et molesta dysuria. Tenesmus adeo urget, ut ægri vires exhauriat, et dolores excruciantes comitentur parturientium instar. Putrida sanies sanguine sincero mista, aut pus cum maximo dolore dejicitur, et in fæcibus adsunt membranæ, quæ conspiciuntur quasi nantes. Prope finem supervenit delirium, pulsus debilis et tremulus fit, petechiæ coloris subfloridi apparent, et toti corpori obrepunt, et inter-

dum ori et faucibus. Fæces interdum redduntur ægro inscio. Singultus, subsultus tendinum, animi defectus, interdum materiæ biliosæ vomitus, sudores frigidi, et mors adoritur angore, dolore, et horrore. Febris dysenteriam comitans, inflammatoria est, sed haud infrequenter typhi speciem induit, et in regionibus calidis præcipue conjungitur intermittente aut remittente.

Hæc signa, et morbi cursus, ubi eventum infaustum habet, sed, quamvis periculosus, haud ex necessitate lethalis est, sed tantum moribundus evadit ex mala medendi ratione, aut medici auxilii inopia. Pauci enim morbi, in quibus ars medica plus valet, vel ad molestiam levandam, et ægri salutem restaurandam, quam in dysenteria.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

HOMINES ad impetum dysenteriae præcipue obnoxii fiunt, omnibus rebus, quæ vel corporis vires, vel animi dotes minuere queant. Ideoque morbum invenimus illos adoriri, qui defatiga-

tione exhausti vigilia, intemperantia, vel deprementibus animi affectibus, sub his rebus, causis objiciuntur, quæ eundem excitant. Miles, qui post longum ac laboriosum iter, noctu ad castra excubat, nocturnis roribus algidus, et terræ exhalationibus humidus; nautæ, qui post diei defatigationes sub sole ardente nocturnas vigiliæ agit, viribus exhaustis, vestimentis imbutis vicinæ oræ putredine, et sæpe secum cogitans, "of hopes too fondly nursed, too rudely cross'd;" civis, qui circa valla oppidi obsessi, motus hostium observat impetum repellere, tempestatis vicibus expositus, omnigenisque privationibus; et quicumque fortunam temere dissipat nocturnis epulis, frigori et aëri nocturno se objiciat ad corporis calorem refrigerandum; hi singuli fere semper in dysenteriam facile incidunt.

CAUSÆ EXCITANTES.

DIVERSÆ vices, quas cælum subit, præcipue frigida, et humida ejusdem temperies, ex calida et sicca; perspiratio subito obstructa, quocumque

in modo inducta, vel ex frigore toti corpori, extremis inferioribus applicato, vel ex aquæ frigidae haustu; hæc quidem omnia haud infrequenter dysenteriam excitant. His accedit aqua* turbida ac salina, quæ in illis utentibus morbum inducere observatur. Ad eundem finem quoque conferunt alia, quæ canalem intestinale plus statim afficiunt; qualia acria ingesta magna in copia sumpta, cibus concoctu difficilis, immaturi fructus, vel maturi etiam plus justo sumpti, bilis in intestinis congesta, vel vitiata, perpetua constipatio, ingluvies, et immodicus usus liquoris spirituosus.

CULLENUS cel. contagium edidit, veluti morbi causam, et alii quam multi ante et post eum in eandem inierunt sententiam. Alii tantum contagiosum esse morbum contendunt, ubi cum typho conjungitur; et pauci, nunquam ita se habere ulla in forma. In hanc arenam descendere limites hujus operis me haud sinunt. De utraque opinione multa adduci possunt; sed talem litem componere non nostrum est.

* Vid. HUNTER, p. 220, 221.

DIAGNOSIS.

SYMPTOMATA dysenteriae plerumque satis evidētia sunt ; sed hæc cum aliis morbis, quibus sunt indicia similia nonnunquam confundi potest. Diarrhœa, cholera, enteritis, colica, et fortasse fluxus hæmorrhoidalis, cum dolore, quippe quæ morbum de quo agitur, referunt, medicum in errorem facilius deducere possunt.

Diarrhœa, absentia febris et tenesmi, torminibus mitioribus quam in dysenteria, et non muco sed fæcibus naturalibus copiose dejectis, satis dignoscitur.

Vomitus vehemens et diuturnus, dejectiones copiosæ, biliosæ, simul cum spasmis crurum et femorum de cholera adoriēte, nos satis certos faciunt.

Inter dysenteriam et enteritidem erythematicam, fortasse difficilior est dignoscere ; nam in utraque dolor vehemens abdominis, febre comitante, adest. Sed in enteritide dolor sub pressu magnopere augetur, dejectiones copiosæ sunt, et

ex fæcibus naturalibus absque tenesmo adorientem, constant. Colicæ febris deest, pressura multo levamini est dolori, et alvus pertinaciter astricta est: et quoque ad conditionem pulsus attentione qui in enteritide semper valde exilis est, adhibita, diagnosis satis accurata institui potest. Febris, tenesmus, et torminum absentia, aspectusque materiæ dejectæ, profluvium hæmorrhoidale satis distinguunt.

PROGNOSIS.

IN dysenteria prognosis caute instituenda est. Morbus viribus medicinæ remediis idoneis tempestive usurpatis magna ex parte cedit; sed his neglectis, vel affectu substantiis perniciosis pro medicamentis adhibitis aucto, molestissimus, et periculosissimus fit.

Instituentibus igitur prognosin, spatium temporis, quo morbus perstiterit, modus curationis exercitus, cœlum res ægri, et ratio qua vitam tolerat, in memoria nobis tenenda sunt. Morbus facilis difficilisve erit sanatu prout brevius

vel diutius perstiterit : in regionibus calidis quam frigidis, in locis paludosis quam in siccis periculosior. Multum quoque ex rebus ægri pendebit ; prout frigori, humori, angustiiis subjectus fuerit, vel gaudiis victus idonei, vestitus calidi vel auxilii, quo opus est, et quod in hoc morbo præ omnibus aliis adeo necessarium est, fruere-
tur.

His commodis non suppediatis, morbus quam iisdem abundantibus, frequentius lethalis est : ideoque in castris et carceribus, quam in nosocomiis bene adornatis, in domiciliis miseris pauperum, quam ædibus divitum periculosior est. Si morbus non tunc temporis epidemice sævit, sed ex causis solitis oritur ; si hominem habitu valido præditum, cujus vires parum imminutæ sunt, adoritur, et si febris lenis inflammatoria adest, res pro faustis plerumque habentur.

Quinetiam si morbum remediis exhibitis facile cedentem, scybala effusa, dejectiones aspectu magis naturali et minus frequentes ; diaphoresin lenem per totum corpus erumpentem, cui adest somnus reficiens, dolorem capitis, tormina, tenesum et sitim abeuntes, observamus, eventum

felicem expectare licet. Effusio sanguinis signum est, quod nonnulli auctores periculum denotare, dum alii minimi esse momenti, existimant. ZIMMERMANUS nihil periculi ex ea instare, et DEGNERUS eandem pro signo fausto habuit. Diaphoresis lenis et universa prodest, et morbus alicui parti externæ inflammatae, vel eruptioni miliariae aliquando observatus est; et MOSELEY dictum est, “If the patient break out into a
“rush, efflorescent eruption, or boils, the disease
“will soon be removed *.”

Inter res quæ terminationem infelicem dysenteriae significant, recensenda sunt sequentia: Si morbus sine conatu facto progressui ejus obstare diu perstiterit; si cœlo calido habitus corporis confectos adoretur; si vires magnopere prostratae, et febris simul formam typhodeam induit: “The most fatal kind of fever,” ait PRINGLE, “which attends dysentery in the army, is the
“jail or hospital fever. This fever, when com-

* MOSELEY on Tropical Diseases, p. 252.

“ bined with dysentery, commonly proves fatal *.”

Sæpe cum aliis morbis qui periculum multum augent, conjungitur. Cum statu morbo hepatis, febre remittente vel intermittente conjuncta, molestissima et periculosa evadit. Multum periculi adest exemplis dysenteriae, quibus ad sunt ab initio summa anxietas, vires multum prostratae, lingua sicca, sudores inæquales, extremitates frigidae, evacuationes invitæ, delirium et petechiæ. Modum, quo dysenteria finitur, verbis sequentibus DEGENERUS tradit. “ Magna
“ virium prostratio, animi deliquia, cardialgia
“ constans, deglutiendi difficultas, visus obscuritas,
“ inquietudo, mentis alienatio, deliria levia,
“ floccorum collectio, extrema valde frigida, oculi
“ insigniter cavi, plerumque lethalia indicia
“ erant.”

Dolor fixus et vehemens in regione hepatis pro signo infausto quoque memoratus est.

ZIMMERMANO testante, siquando morbus in mortem desiit, tormina post dejectiones non ces-

* Diseases of the Army, p. 234, 235.

serunt, et poculis dediti morbo cito correpti fuerunt.

In exemplis quibus morbus remediis adhibitis non cedit, et in stadiis primis non lethalis fit, ille longus evadit, ex quo æger, si juvenis sit, restituitur; si morbus cum aliis non conjungitur, et debilitas haud summa; sed prognosis, rebus sic existentibus, caute dicenda est. Ægri, rebus sic se habentibus, diu sustinere possunt, per menses, etiam annos; sed tandem summo marcore conficiuntur, et febre hectica vel hydrope, e medio tolluntur*.

RATIO MEDENDI.

In nullo morbo quam dysenteria, remediis promptis et efficacibus ad initium magis opus est; et in nullo de medicamentis usurpandis inter medicos minus convenit. Sanguinis missio, purgantia, astringentia, emetica, diaphoretica, et

* MONRO, de Dysenteria.

præparationes hydrargyri, temporibus diversis, elata sunt; quippe quibus morbum prorsus tollendi vires inferunt. In hoc ac in aliis exemplis, facientes medicinam cuidam opinioni particulari, de natura et sede mali, vel cujusdam remedii cui magis faverunt, attentionem totam tribuerunt, ut omnem rationem medendi alienam ab illa, quæ ipsis placuit, neglexerint, et quodque medicamentum, nisi illud a se præscriptum, in contemptu haberent. Singuli rationem medendi convenienter sententiæ de causa et sede morbi, quam ipsi vindicarunt, susceperunt. Si hic exhalationem per cutem suppressam pro causa sua agnoverit, ad hanc restituendam operam dabant; si inflammationem canalıs intestinorum, missio sanguinis, utpote remedium solum, peracta fuit. Illi, quibus persuasum est spasmus et alvum astrictam morbum excitare, spasmus solvere et fæces retentas et induratas expellere, conati sunt: et hepar organaque bilis secretioni interventia, attentionem illorum hydrargyrum pro specifico habentium, præcipue occupant: nec defuerunt qui morbum ex conditione relaxata et debilitata in-

testinorum orientem existimarunt, et qui ex opinionione recepta, tonicis et astringentibus, vel quibuscunque vis inesse haberetur alvum cohibendi fisi sunt. Sed quia dysenteria non ex quavis ex his conditionibus sola, sed plurimis causis conjunctis gigni videtur, signis diversis, et etiam contrariis comitantibus ob res varias ex cœlo, modo vivendi vel habitu ægri pendentes, altero morbo haud raro simul existente, curatio non alicui opinionini accommodanda est, vel quodvis remedium peculiare, utcunque laudatum, tantum præcipere fas est. Num morbus ex spasmō vel inflammatione pendet, symptomata quæ nihil horum indicant, et quæ remediis idoneis debellanda sunt, sæpe adsunt: et talibus medicamentis qualia res postulent, solerte adhibitis, dysenteria cito et certissime sananda est. Si, exempli gratia, paucae unciae sanguinis, morbo ineunte detrahuntur signa verisimile leniora fiunt, sed si nihil plus instituitur, hæc summa vehementia celeriter redeunt. Si tamen medicamentum purgans, et diaphoreticum post venæsectionem usurpantur, morbo haud absimile finis imponitur. Singula horum remediorum per se

adhibita parum vel nil profuissent. Si igitur, dysenteria ineunte, æger sit juvenis et robustus, dolor ingens capitis, pulsus validus, cutis sicca, et calor præter solitum, dejectiones frequentes et sanguinolentæ, cum torminibus et tenesmo molestis, alvo tensa, et dolore dorsi et lumborum gravi, sanguis copiose mittendus est.

Huic plerumque accedunt torminum et aliorum symptomatum remissio, et vires atque frequentia pulsus imminutæ, sed venæsectioni soli curatio non committi debet. Inter scriptores medicos de utilitate detractionis sanguinis in dysenteria multum controversiæ existit. Alii hanc tantum in quibusdam formis morbi, scilicet signis inflammationis existentibus sinunt: dum alteri contra utpote inutilem negligunt, vel nocivam reprobant. Metus ne debilitatem et longam catenam sequelarum gravium, et etiam lethaliū induceret, quosdam ab hac deterruit: dum aliis recentioribus in singulis exemplis morbi, an cum febre inflammatoria, remittente, vel intermittente conjuncti, sanguinem detrahare est consuetudo, “even in the face of fever;” et nunquam in vaginam remittunt “the all-saving lan-

“cet,” quamdiu sanguis in dejectionibus conspicitur; et denique eam ut desideratum “the specific itself in the cure of dysentery *” habuerunt.

SYDENHAMUS, HUXHAM aliique sanguinis missionem, nulla attentione ad typum febris comitantis adhibita, laudant. Hanc tamen si morbus aliquandiu perstiterit, et æger debilitatus sit, vel si signa debilitatis ab initio adfuerint, minime perficiendum esse in aprico est.

HUNTERUS summo jure dicit, “in slighter cases, “or when the disease is treated early, purgatives have proved so effectual that I have never had recourse to bleeding; and when the “disease has been more violent, the strength has “been so much reduced, that I have not dared “to make use of the evacuation †.”

PRINGLEII opinio fuit dysenteriae, nisi febris inflammatoria adsit, venæsectionem non opus esse.

MOSELEY de venæsectione loquens his verbis utitur: “There are but few instances where it

* Vid. SOMERS Medical Suggestions.

† Vid. HUNTER, Observat. on Diseases of the Army.

“ may not be safely done in the beginning of the
“ disease, observing only *non quæ ætas sit, sed*
“ *quæ vires sunt,*”

Quod pertinet ad necessitatem operationem repetendi, symptomata quæ adsint nos dirigent. Si signa inflammationis supra memorata perstent, ad lanceolam iterum confugere opus est. Sed si remedia idonea post missionem primam resumpta fuerunt, hoc non necessarium fore existimo. MOSELEY, ut sanguis pro symptomatis, et SOMERS quamdiu dejectiones sanguine miscentur, et dolor adest, detrahatur præcipiunt. In exemplis, quæ debilitas summa comitatur, vel in quibus morbo, ut sæpe febris typhus simul subest, venæsectio manifeste nocet, et ad alia remedia quæ effectum exoptatum sine viribus ægri tantum imminutis præbent, oportet confugere. “ Si vero sanguis sit solutus, atque debilitas ac
“ languor, aliaque symptomata morbi putridi
“ urgeant, sanguis parca manu mittendus est, et
“ rarissime in hoc rerum statu venæsectionem
“ repetere expedit *.”

* Vid, MONRO, de Dysenteria, p. 146.

Statim post sanguinem detractum emeticum exhibendum est, et vomitus liber et copiosus, haustu copioso tenuis decocti anthemidis nobilis, vel tantum aquæ tepidæ, promoveri debet. Scrupula duo pulveris ipecacuanhæ, vel per se, vel cum granis uno vel duobus antimonii tartarizati conjuncta, consilio optime respondere invenientur, et si alvus simul movetur, effectus fausti remedii, quam si vomitus solus inductus fuerit, multo insigniores sunt.

PRINGLEIUS ipecacuanham in parvis dosibus sæpe repetitis exhibuit, et dejectiones copiosiores sic inductas fuisse et magis profuisse, quam magna copia semel sumpta reperit.

Emetica in fere omnibus exemplis dysenteriae, imprimis cum febre remittente, intermittente vel typho conjunctæ, magnopere prosunt. Hæc ventriculum levant, nauseam minuunt, et halitum cutis copiosum inducunt. ZIMMERMAN et MOSELEY curationem emeticam exhibendo ambo inciperunt, sed hic, ut opiatum statim post effectus præbitos usurpetur, præcepit*.

* MOSELEY, De Morbis Tropicis, p. 248. ZIMMERMAN, p. 47.

In plurimis exemplis non nihil horroris primum accedere, et emeticum hoc tempore sumptum semper prodesse observatum est.

PRINGLEIUS hunc modum ipecacuanham exhibendi, ob nauseam molestam et diuturnam ab ea inductam, relinquere coactus fuit. Emeticum si quando inflammationis pauxilla suspicio fuit, ZIMMERMAN semper omisit. Protinus post vomitum cessatum, catharticum porrigi, et operatio ejus haustu copioso alicujus potus tenuis diluti promoveri debet. Tales liquores libere sumpti, actionem purgantium promovendo, sudorem eliciendo, et dolorem levando, effectus faustissimos præbent. Illi revera multo pluris sunt momenti quam ad initium videretur. MONRO sibi habuit persuasum nullam rem ad curationem dysenteriae magis conferre quam usum “ of such liquids as obtund and involve the acrid humours *.” Hoc consilio decoctum anthemidis nobilis, emulsio amygdalarum, serum, jusculum pullinum, &c. &c. præscripta fuerunt; sed aquam hordei cum pauxillo supertartratis potas-

* De Dysenteria, p. 150, 151.

sæ, et sacchari, ad saporem celandum, inter milites optime convenire plerumque reperi. Purgantia in dysenteria usurpata plurima sunt; sed oleum ricini, submurias hydrargyri, rheum palmatum, et sales medii, sæpissime in usum veniunt. Quibusdam ex his in diversis stadiis, vel quibusdam exemplis morbi commoda fortasse peculiaris sunt; sed sulphatem magnesiæ quibuscunque purgantibus antecedere plerumque repertum iri, mihi sententia est; ut hic cum manna, pauxillo olei menthæ piperitæ addito, jungatur, HUNTERUS præcepit. Eundem solutum in infuso sennæ, ratione duarum unciarum salis ad duas libras infusi præscribere solebam, et hunc modum efficacissimum eum exhibendi reperi. Pauca grana antimonii tartarisati misturæ adjecta fuerunt, et circiter uncia duæ quaque hora vel dimidia hora pro conditione ventriculi, usque ad effectus inductas porrectæ sunt. Inter purgantia in dysenteria exhibenda, consilium nostrum non ex quantitate medicamenti ab ægro devorata, vel dejectionum numero, sed effectibus inductis pendere debet; ideoque medicamentum usque ad dejectiones factas copiosas, et aspectu

magis solito facilius descendentes, faciliusque induratis mistas, et tormina, tenesnum aliaque signa molesta remittentia, usurpatum est. Scybalas retentas irritationem perpetuam deducere oportet; emissio igitur harum quam maxime potest fieri promoveri debet, et tenesnum prorsus cessare, et statim alia symptomata, illis ope cathartici acris dejectis observatum est*. Tantis effectibus per dosin unam medicamenti purgantis præbitis, morbum lenem fuisse oportuit, et medicamentum repetere plerumque necesse erit; sed metus ne debilitas ab remediis purgantibus inducatur, saltem morbo ineunte, hæc frequenter repeti minime debet prohibere: contra hæc vires ægri tormina aliaque signa gravia levando restituere videntur.

“When the disease is violent, however,” inquit HUNTER, “and the purgatives have been frequently repeated, and the symptoms still recur, at the same time that the strength is greatly impaired, there is a period beyond which

* Vid. PRINGLE, Diseases of Army, p. 236, 237.

“purgatives cannot be given with advantage*.”
Rebus sic existentibus, ad laxantia lenia confu-
gere oportet, nam quamvis æger operationem
purgantium drasticorum tolerare nequit, alvum
laxam servare oportet.

Si tamen morbus diuturnus fit, et signa sum-
mæ debilitatis adsunt, medicamenta laxantia
cautissime exhibenda sunt. “We must take
“care to keep the bowels moderately open, but
“must avoid the most trifling excess in our laxa-
“tives; and although there should be some ten-
“dency to costiveness, if there is no pain in the
“bowels, it is unnecessary to solicit a motion
“oftener than once in two days. The intes-
“tines will improve in strength by being sel-
“dom excited, provided the fæces do not accu-
“mulate in such quantity as to produce obstruc-
“tion or annoyance†.”

Enemata a quibusdam scriptoribus de dysen-
teria multum elata fuerunt; quippe quæ intes-

* Diseases of the Army in Jamaica, p. 225.

† DEWAR on Dysentery in the Army.

tinis res limosas et fæces induratas tollere, et tormina atque tenesnum levare valeant. Horum sunt duo genera, vel quæ aliquod medicamentum solutum servant, vel quæ ex decoctis mitibus Hordei, Amyli, Mimosæ Niloticæ, &c. constant. BLANIUS hæc utpote vires ægri verisimile exhaurire, et intestino tenui nocere pollentia reprobatur; sed ab his effectibus, per exhibitionem idoneam, ni fallor, præcaveri potest; et in plerisque exemplis summum commodum præbere reperiuntur. In quantitate haud parca injici, et in nullo exemplo omitti debent. Si tenesmus molestus adsit, aliquid tincturæ opii clymati adjiciatur. “If the disease,” HUNTER dicit, “terminate in a tenesmus, or if that symptom prove troublesome, it is often entirely removed, and always greatly relieved, by an anodyne clyster, consisting of thirty or forty drops of the tincture of the thebaica in three or four ounces of lintseed tea, or thin jelly of starch *.”

* Diseases of the Army in Jamaica, p. 236, 237.

Solutiones acetatis plumbi et zinci vitriolati sub forma clysmatum in regionibus callidis summo cum commodo admotæ fuerunt *.

Ut opiatum post effectus emetici et cathartici præbitos usurpetur, præceptum fuit. In nullo stadio tamen curationis dysentericæ quam inter opium et astringentia exhibendum, plus judicii adhibendum est. Hæc ineunte morbo usurpata effectus perniciosissimos induxerunt, dejectionem fæcum, quæ retentæ fuerunt morantur, redditum actionis salutiferæ intestinorum prohibent; febrem, sitim, cæteraque signa infausta augent, et in exemplis morbi qui si aliter curatus fuerit, forsitan fauste cessisset, mortem nimis frequenter induxerunt. ZIMMERMANUM plurimosque alios auctores, effectus eorum infaustos testantes invenimus. Tympanites talibus remediis intempestive adhibitis accedere visus fuit. Opium igitur in stadiis primis dysentericæ, præcipue cum æger sit juvenis et plethoricus, evitandum est; sed solerter et caute exhibitum,

* Vid. Sir J. MACGREGOR's Medic. Sketches, p. 190.

medicamentum utile efficax evadit. Post plenos effectus emetici et cathartici inductos, si æger ex febre satis immunis est, sed inquietus, anxius, et turbatus, opiatum irritationem levando et somnum inducendo, effectus faustissimos præbebit. BLANIUS linguam nitidam utpote febrem abesse denotantem inter symptomata quæ opium postulant recenset. PRINGLEIUS opiata magnopere laudat, sed eadem nisi post dejectiones copiosas ope purgantium inductas non porrigenda esse dicit *. “If,” dicit HUNTER, “the griping, “and other symptoms, are relieved by the physick, an opiate never fails to do good, by prolonging the truce thus obtained with the disease †.”

Opium cum aliis remediis conjunctum exhibetur. Cum submuriate hydrargyri commistum irritationem intestinorum quam hoc medicamentum inducere maxime proclive est, prohibet, et simul cum antimonio aliisque diaphore-

* Diseases of the Army.

† Diseases of the Army in Jamaica.

ticis sumptum, vires eorundem haud parum auget. Si in stadiis primis morbi, ad ulla symptomata gravissima levanda opium exhibere prorsus necessarium est; effectibus ejus constipantibus ope cathartici occurrendum est. Præ omnibus remediis ad dysenteriam sanandum admotis, post evacuationes idoneas diaphoresis lenis et generalis pollet; et conditio cutis per totam curationem summam attentionem vindicat. “Nothing,” BLANIUS inquit, “tends more to relieve
“gripping and tenesmus, than a general warm
“moisture on the skin*.” Ad hoc consilium implendum varia medicamina, ipecacuanha in dosibus parvis et repetitis, pulveres JACOBI et DOVERI, &c. præscripta fuerunt. Sed hunc, ni fallor, imprimis dilutionibus copiosis adjutum, optime convenire existimo. MOSELEY, qui diaphoretica summis viribus vindicat, medicamentum antimoniale cui est effectus laxans, antepo- nit. Ubi multum torminum et tenesmi adest, doses parvæ ipecacuanhæ sæpe repetitæ effectus

* Diseases of Seamen.

maxime salutiferos præbebunt ; sed copia hujus medicaminis quam BLANIUS exhibuit, procul dubio nimis parva fuit quin aliquid operationis insignis induceret ; nempe grana duo bis terve indies nautis robustis, et unum illis ex populo constitutionibus mollioribus præditis, porrexit. Consilio sudorem copiosum eliciendi æger in balneum calidum descendat. “ The warm bath,” dicit BLANIUS, “ is of great service, especially “ when the gripes and tenesmus are severe, and “ the fever has been taken off by previous evacuation *.”

Si tamen balneum non in promptu est, vel si descensus in hoc nimiae turbationi esset ægro, abdomen pannis aqua calida madefactis, in qua nonnulli præscribunt ut tinctura opii, vel spiritus camphorati inspergatur, fovendum est. “ When the stomach has been much affected, I “ have perceived relief from fomenting it with “ stupes upon which thebaic tincture and cam-

* BLANE on Diseases of Seamen.

“phorated spirits were sprinkled, as recommended by Dr LIND*.”

Ut abdomen semel vel bis indies linimento constante ex tinctura opii et unguento hydrargyri bene commistis, fricetur, JOHNSON suadet. Applicationes unctuosæ perspirationem aliquo modo impedire possent. Per totum decursum morbi æger in lecto detineri, et vestimentis laneis co-operiri debet. In singulis exemplis longa fascia lanea circa abdomen arcte liganda est. Hanc rationem Dr WHITE primus introduxit. Halitum perpetuum et æquabilem ex cute auferit, intestina debilia sustinet, ne frigus lædat, prohibet, et torminibus obstat. DEWAR de fascia disserens his verbis utitur: “By wearing it, “the patient carries constantly along with him “a bath of the best temperature, one which will “on no occasion weaken him by profuse perspiration, and which being never laid aside till “it is no longer necessary, cannot expose him “to the effects of cold by a change of tempera-

* BLANE on Diseases of Seamen.

“ ture *.” Eques JACOBUS MACGREGOR huic quoque favet, “ in chronic cases, and in convalescents, it appeared to be of the greatest service; and in recent cases, when the appropriate remedies were used at the same time, it seemed to shorten the cure †.”

Hanc rationem medendi dum exercitui adfui, nunquam prætermittebam, eandemque optimos effectus aliquando edentem sæpe vidi. In exemplis quibus adest dolor fixus in aliqua parte abdominis quæ remediis internis non cessit, ut emplastrum vesicatorium parte admoveatur, præceptum fuit. DEWAR hunc dolorem proclivitatem ad actionem vehementius inflammatoriam in parte quadam canalis intestinorum indicasse existimavit. “ It is to be obviated,” inquit, “ by frequent fomentations; and to these, if taken in time, it generally yields; when it does not, it will often be relieved by the application of leeches, and still more frequently by a large blister.”

* Page 112.

† Medical Sketches, p. 189.

Si dysenteria aspectum induat febris typhi, modus medendi huic accommodandus est, et attentio ad febrem præcipue tribuenda. Primum, ægrum in aërem purum remove oportet, et omnia quæ ortum præbere typho, vel vehementiam ejus augere cognita sunt, evitare. Sub hac forma dysenteria valde est contagiosa, et ægri igitur quam celerrime ex integris semovendi sunt, et omne commercium inter eos sedulo prohibendum. Denique omnia quæ contagio occurrere valent; præcipienda et accurate usurpanda sunt.

Quia huic formæ morbi debilitas subita et summa plerumque adest, vires eodem tempore quo symptomatis dysenteriae propriis occurrimus, sustentare conandum est. Venæsectio, rebus sic se habentibus, utpote nociva minime perfici, et omnes evacuationes parce et caute institui debent. Si multum sit nauseæ, grana quindecim ipecacuanhæ, consilio ventriculum levandi, et aliquid medicamen laxans mite, alvum solvendi exhibeantur. Ut intestina ex aliquibus fæcibus coacervatis, aliisque impuris leventur, prorsus opus est, sed hoc sine dejectionibus gra-

vibus inductis, quæ vires ægri minuerent, fieri oportet. Alicui acori molesto per haustum effervescentem, et magnesiæ calcinatam occurrendum est.

Evacuationibus inductis, vires ope cujusdam medicamenti roberantis sustentare nostrum est. De viribus cinchonæ, rebus sic existentibus, alii aliter sentiunt. In plerisque exemplis quibus hanc usurpatam vidi, nausea et nonnunquam tormina ab ea inducta fuerunt: inter convalescentiam tamen medicamentum est præclarum. Vinum ut decet, exhibitum, remedium validum et gratum est; parca copia semel concessum pari quantitate aquæ dilutum, vires ægri absque signis aliquibus molestis illatis sustinet. Sed ex toto, curatio sumenda eidem, quæ typho convenit, fere similis est, simul cum fasciis fomentis abdomini admotis, clysmatis emollientibus, vel anodynis, aut quocunque præterea symptomatis dysenterici opus sit.

In curatione dysenterici intermittens et remittens, emetica, quippe quæ ventriculum et intestina rebus impuris coacervatis levant, perspirationem excitent, et paroxysmum prohibeant,

vel breviorē reddant, magnopere prosunt. Huic formæ vel conditioni morbi cinchona imprimis convenire observata est, sed hydrargyrus quomodocunque in usum venit, num sub forma pillularum submuriatis, vel unguenti in abdomine infrikti, ut HOULSTEN monet, omnibus remediis antecellit. Scriptores qui medicinam in India Orientali fecerunt, et quibus plurimæ fuerunt occasiones dysenteriam sub hac forma conspiciendi, hydrargyrum in curatione, laudibus efferunt, sed de modo optimo et efficacissimo hunc exhibendi non prorsus inter eos constat. Ut hic in dosibus parvis et repetitis, vel per se vel cum diaphoreticis aut opii conjunctus, usurpetur, præcipiunt. Alii contra, doses copiosissimas cum laxante subinde interposito magis prodesse contendunt. In utrovis modo os antequam remedium effectus suos plenos præbere potest, evidenter affectum esse oportet. Submurias, illa præparatio hydrargyri in talibus exemplis præcepta esse videtur, et quia non solum ob vires ejus laxantes, sed ut effectum suum specificum in hepate et genere bilioso præbeat, exhibitur, illa ratio, qua hæc actio citissime excitatur, an-

teponenda est. In dosibus scrupuli bis, ter, quaterve indies, summo commodo exhibitus fuit, et quamvis nauseam dolorem ventriculi, aliaque signa molesta aliquando induxit, tamen hæc raro gigni videntur, et dejectio fit fæcum cum bile mistarum copiosa cui remissio febris, torminum, tenesmi, fluxu salivæ inducto, accedit.* Aliquod medicamentum lene purgans inter doses hydrargyri exhibeatur, et hoc consilio oleum ricini JOHNSON præcepit, sed quo minus submurias hydrargyri usurpetur, cui præcipue ad curationem efficiendam fidendum est, non prohibere debet. HARTY de hydrargyro usurpato ad dysenteriam remittentem sanandum loquens, sequentia memorat: “ Whether received in the
“ light of a purgative, sudorific, or deobstruant,
“ no remedy can rival mercury in the cure of
“ this disease; it acts against it in a treble capacity; as a purgative, it effectually cleanses the
“ bowels of their morbid contents; as a sudorific, it materially influences their action, and

* Vid. illum on Tropical Diseases.

“ tends to make it regular ; while as a deob-
“ struent, it possesses a powerful operation of the
“ biliary system, which in this form is more or
“ less deranged. *”

Consilio tonum intestinorum restituendi, remedia diversa præscripta fuerunt. BLACKLESBY, anno MDCCLVIII, decoctum corticis quercus roboris, punicæ granati et tormentillæ erectæ. (Vide opus ejus de *Morbis Militum*.)

THOMAS qui medicinam in India Orientali fecit, decoctum forte hæmatoxyli Campechiani et corticis punicæ granati, præscripsit †, et HUNTERIUS de iisdem remediis loquitur ‡.

Post impetus graves dysentericæ, diarrhœa ex conditione intestinorum laxata et debilitata oriens, et absque febre, quamvis nonnihil torminum et tenesmi adest, sæpe perstat. Rebus sic se habentibus, medicamentis tonicis et astringentibus, simul cum aëre puro, vestitu laneo, diæ-

* Observations on Dysentery, by WILLIAM HARTY, p. 225.

† THOMAS Practice.

‡ Diseases of the Army in Jamaica, p. 236.

ta leni et nutrienti, et exercitatione modica, omnino opus est. MONRO et TROTTER equitationem laudant, quæ procul dubio, siquando facultas sit, quæ non semper accidit, ad vires restituendas magnopere confert. In talibus exemplis acidum nitricum, et ut credo, haud parvo comodo, sæpe exhibui ; sed bolus constans ex granis quinque pilulæ ceruliæ et pari copia pulveris DOVERI, mane et vespere usque ad os nonnihil affectum, sumptus, me iudice, maxime profuit.

Victus per totum decursum morbi esse parcissimus, et ex rebus facile concoctis et nutrientibus, præcipue sub forma liquida, constare debet.

PRINGLEIUS nunquam ægris ejus lac porrexit, et quatenus observavi, hoc in stadiis primis morbi, non idoneum est, sed cum polline coctum maxime convenit.

Acidum nitricum cum opio conjunctum a Domino HOPE* maxime laudatur, et effectus optimos evidentes ex eo pro tonico in exemplis chronicis inductos sæpe conspexi.

* Vid. vol. 3^o. Medical and Physical Journal.

